

mæ ac spíritus, compágum quoque et medullárum, et discrétor cogitátionum et intentiónum cordis; et non est creatúra invisíbilis in conspéctu eius, ómnia autem nuda et apérta sunt óculis eius, ad quem nobis sermo.

Verbum Dómini.

Alleluia

Mt 5, 3

℟. Allelúia. ℣. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

Evangelium*

Quæcumque habes vende, et sequere me.

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 17-30

In illo témpore:

Cum egrederétur Iesus in viam, accúrrens quidam et genu flexo ante eum rogábat eum: « Magíster bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam? »

Iesus autem dixit ei: « Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus. Præcépta nosti: “ Ne occídas, ne adúlteres, ne furéris, ne falsum testimónium díxeris, ne fraudem féceris, honóra patrem tuum et matrem ” ».

Ille autem dixit ei: « Magíster, hæc ómnia conser-vávi a iuventúte mea ».

Iesus autem intúitus eum diléxit eum, et dixit illi: « Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes vende et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo, et veni, séquere me ». Qui contristátus in hoc verbo, ábiit mærens, erat enim habens possessiónes multas.

Et circumspíciens Iesus ait discípulis suis: « Quam difícilé qui pecúnias habent in Regnum Dei introíbunt ». Discípuli autem obstupescébant in verbis eius.